

diana animæ prælia subinde decidimus ac debilitamur : ideo quotidie saltem semel, si non mane et vespere, attollendum pondus carnis nostræ et spiritui subjiciendum : *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam*, inquit Sapiens, cap. IX. *et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. In navigii sentinam semper aliquid aquarum influit per latentes rimulas, quare nisi crebro exhauriatur, tandem lemergat navem necesse est. Pari ratione quia semper aliquid pravi operis nobis subrepat, necesse est ut animum crebro evacuemus.

Quinto, hinc fiet, ut quotidiana errorum nostrorum pœnitundine vitia et pravi habitus seu consuetudines, altiores in nobis radices agere nequeant; quemadmodum nec in horto herbæ inutiles, cum hortulanus quotidie inspicit ortum suum, et evellere eas satagit. E contra evenit, cum examen id negligitur, teste Sapiente, Proverb. XXIV. *Transivi per agrum hominis pigri, et per vineam stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ et maceria lapidum destructa erat*. Sic enim conscientia illius, qui nunquam eam discutit, evadit quasi desertum et oppletur vitiiis, fitque habitaculum serpentum et bufonum. Ligo igitur examinis semper ad manum habendus.

VI. Accedit hujus exercitii facilitas, quæ in quinque punctis consistit.

Primo, gratias Deo agito, pro beneficiis generalibus, specialibus, singularibus; maxime illius diei.

Secundo, pete lumen a Deo, ad cognoscenda peccata. Sic mulier illa accendit lucernam, ut drachmam perditam inveniret, Luc. XV. Cæci in nos ut plurimum sumus, aliena potius quam nostra peccata cernimus. Unde David dixit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*, Psalm. XXXIX. Cœleste igitur lumen ad nos ipsos cognoscendos a Deo impetrandum.

Tertio, conscientiam disquire. Convoca debitores, dicens singulis actibus suis: *Quantum tu debes Domino meo?* Percurre cogitationes, verba et opera, quinque sensus, septem vitia capitalia, decem præcepta, vel actiones singulas de hora in horam.

Quarto, excita in te contritionem et pete veniam, ac confitere Deo, dic cum debitore illo: *Patientiam habe in me, omnia reddam tibi*.

Quinto, propone emendationem et pœnitentiam tibi impone, media emendationis disquire et amplectere. Hanc doctrinam tradere nobis videtur Jeremias, cap. XXXI. cum ait: *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor*

tuum in via rectam, in qua ambulasti. Stateit sibi speculum, qui parat sibi cœleste lumen, quo videat statum conscientiæ suæ. Inde speculatur, qui omnes vias et angulos cordis sui circumspicit, et fures animæ suæ insidiantes pervestigat, ponit sibi amaritudines, quæ de peccatis suis conteritur, eaque amare deflet. Dirigit cor suum in viam rectam, qui proponit emendare vitam suam.

Quod si hoc judicium grave tibi videtur, compara id cum judicio Dei, tecum aliquando instituendo: et invenies; quod si rem grandem tibi dixissem, certe facere debebas, quanto magis cum dixi, ut lavares te semel per diem in Jordane hujus examinis? Quomodo suaserunt servi Naamano, IV. Reg. IV.

Quare auditores, non desimus nobis in tam utili studio, quod ad vitam bene ac beate instituendam utilissimum est compendium. Imitemur Moabitudem illam Ruth: *Quæ colligit in agro, (spinas) usque ad vesperam, et quæ colligerat virga cædens et excutiens invenit hordei modios tres*, Ruth. II. Occupationes et negotia nostra spicilegium quoddam sunt. Spicas quidem honorum operum et cœlestium meritorum forsitan querere per diem intendimus: sed interim multas etiam paleas una cum illis colligimus, actus inquam steriles et vitiosos purgatorio, vel etiam tartareo igne dignos.

Quare ad vesperam diei excutiendus est fasciculus nostrarum operationum et paleæ aspicias seligendæ. Cædat unusquisque et excutiat semetipsum ac removeat paleam, quæ maculat conscientiam et igni purgandam tradit animam. Sic fiet ut brevi tempore magnum virtutum acervum sibi comparet, habeatque unde æternum vivat.

CONCIO VII.

SACERDOTES SANCTOS ESSE DEBERE.

- I. Quia Deum in terris repræsentant. — II. Quia Deo dicati. — III. Quia mediatores inter Deum et homines. — IV. Quia tractant sancta. — V. Quia ipsi debent alios sanctificare.

THEMA.

Piscatores autem descenderant, et lavabant retia
Luc. V.

Libro IV. Reg. capite XXII. legimus Josiam regem bonum ac pium, cum allatus ei esset liber legis, inventus in templo, et lectus coram eo, conturbatum esse, et scidisse vestimenta sua ac dixisse Helciæ sacerdoti et aliis: «*Ite et consulite Dominum super me et super populo, et super omni Juda de verbis voluminis istius,*

quod inventum est. Magna enim ira Dei succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis. » Hoc ego, auditores, sacerdotibus dictum volo. Inveni enim in libro legis tremens ipse ac stupens, verba Domini Dei omnibus sacerdotibus adeo pertimescenda, ut si ea audierint, jure etiam ipsi scindere vestes suas possint, vel certe conturbari debeant. Quid enim inquit liber ille: *Loquere ad sacerdotes*, ait Levit. XXI. *ne contaminetur sacerdos, etc.* et iterum: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus*: et rursus: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*, id est, jubeo esse sanctos: similiter Exod. XIX. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percussat eos*: et Lev. X. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi*, id est, puniam sacerdotes, qui sancti esse deberent, et non sunt. Quem quæso hæc tonitrua non terreant? Addo hodiernum evangelium; ex quo discimus, piscatores animarum munda habere corda debere, quod docent piscatores dum laverunt retia sua. Itaque vos sacerdotes, ite et consulite mecum Dominum super nobis et statu nostro. Magna enim Dei ira succensa est contra nos, qui forte hucusque ignoravimus, quales esse debeamus, si non simus tales, quales nos esse jubet Deus.

I. Sancti sint sacerdotes. Quia Dei personam in terris repræsentant, uti patet in s. missa, in qua consecrant in persona Christi, ipsiusmet verbis: *Hoc est corpus meum*. Et quemadmodum Christus sacrificio suo cruento semel nobis placavit Patrem; ita ipsi (suo modo) sacrificio incruento eundem quotidie placant. Novimus autem eos, qui personam alicujus regis aut principis repræsentant, graviter et circumspecte sese gerere, ac quantum fas est, principis sui majestatem et mores exprimere, cavereque ne quid agant, quod ejus auctoritatem possit imminuere. Atqui nos: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*, ait apostolus, II. Cor. V. Ergo adlaborandum nobis, ut Christum ipsum in moribus nostris, quantum fieri potest, exprimamus, nihilque committamus quod in ejus contemptum possit redundare. Ideo enim Lev. XXI. dicitur: *Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus*: Dei scilicet, in quem redit eorum levitas. Hinc Constantinus Magnus: *Sacerdotum judicium, aiebat, ita haberi, ac si ipse Dominus residens judicet; nihil enim licet his aliud sentire, nisi quod Christi magisterio sunt edocti*. Refert Optatus Milevit. l. I. contra Parvina; et S. August. epist. LXVIII. idem de iisdem dixit: *Vos nobis a Deo dati estis dñi, et convenienti non est, ut homo judicet deos, Ruffinus apud Baron. anno CCCXXV. Hinc viri boni et*

religiosi non facile adduci possunt, ut de gravi delicto suspectos habeant sacerdotes. Illustrissimus cardinalis Bellarminus, cum sacerdos apud eum impudiciæ accusaretur, isque se immunem ab hoc scelere testaretur, dicenti acquievit, eo quod diceret: *Sacerdotis in ore mendacium existere non posse*. Refert Marcellus Cervinus, in ejus vita, cap. XXIX.

Hæc conditio etiam veteri in lege, (uti et aliæ sequentes in aliis symbolis) sacerdotibus insinuata fuit in zona summi sacerdotis, qua præcingebatur, et in qua repræsentabat Christum, qui Apoc. I. zona præcinctus aurea apparuit Joanni.

II. Quia Deo dicati, donati et sanctificati sunt, ut dicat nomen eorum sacerdos. Hoc idem in vestibus summi sacerdotis olim significabat tiara ejus, in qua ad frontem insculptum erat aureæ lamina: *Sanctum Domino*, q. d. sanctus erit Deo suo, ut Levit. XXI. habetur, id est, dicatus et sacratus. Quod autem Deo offerebatur immaculatum esse debebat: *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino*, Levit. XXII. Quare, c. XXI. præcedente hoc ipsum sanxit Deus de sacerdotibus: *Qui habuerit maculam, inquit, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo*. Jam: «*Cæcus est, ait S. Gregor. I. p. pastor, c. ult. qui supernæ contemplationis lumen ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Claudus vero est, qui quidem quo pergere debeat, aspicit, sed per infirmitatem mentis vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur quo per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, naso quippe odores fœtoresque discernimus. Nasus grandis et tortus est, discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plus quam decet exereverit, actionis rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede, vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimode alienus existat (vel ut S. Cyrillus, l. XII. de adoratione ait: Qui non integre ad probas actiones graditur, sed opus Dei facit imperfecte et negligenter.) »*

« Gibbus vero est, quem terrene sollicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis in his quæ in infimis caleantur, intendat. Lippus vero est, cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat sed tamen hoc carnalia operæ obscurant. Albuginem vere habet in oculo qui veritatis lucem videre non sinitur: quia arrogantia sapientiæ seu justitiæ cæcatur. Si enim candorem sibi justitiæ sive sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit. Igem vero habet scabiem, qui carnalis petulantia sine cessatione dominatur. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente, quæ si in parvis non compeccitur, nimirum sine mensura dilatatur. Ponderosus (sic legit S. Greg. alii herniosus) est qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderatione gravatur in mente: qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo repugnationis obstaculo delectatur, etc. » Hæc Greg. vel planius dicamus. Cæcus est, qui ignorat ea, quæ ad officium sacerdotis pertinent, eique scienda sunt. Quomodo autem cæcus cæcum ducet? Claudus, qui videt, et quidem quæ recta sunt, non audet tamen docere, propter affectum et timorem humanum: fracto pede et manu est, qui docet recta, ea tamen non facit: gibbosus, qui terrenis negotiis implicatur, opes, honorem vel favorem quærit non animas et quæ Jesu Christi sunt: lippus ejus scientia depravatur affectibus superbiæ, invidiæ, avaritiæ, gula ebrietate, etc. magno et torto naso, qui sæcularibus se negotiis nihil ad se pernentibus immiscet: parvo nimis, qui quæ ad se et suos spectant, non curat, etc.

III. Quia mediatores sunt inter Deum et homines, ferunt enim ad Deum preces nostras, eumque nobis placant sacrificiis suis, uti testatur apost. ad Hebr. V. dicens: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* (Per pontificem autem intelligit apostolus ibi omnem sacerdotem, seu pontificem quæ sacerdotem.) Quia enim non quisvis ex plebe apti sunt Deo debitum patriæ cultum deferre, ideo unus ex omnibus magis idoneus et dignus eligitur, qui pro cæteris id præstat; unde debet illis esse eminentior virtute et prudentia, adeoque Deo familiarior, ut possit ei reconciliare alios: « Qui orationis usu, ait S. Gregorius, 1. p. pastor: c. X. et experimento jam didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposcerit, poscit: » Et mox, cap. sequente: « Si enim fortasse quis veniat, ut pro se ad intercedendum nos ad potentem quempiam virum, qui sibi iratus, no-

bis vero incognitus est, ducat, protinus respondemus: Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minime præsumit, fieri intercessor erubescit; qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit qui familiarem se ejus gratiæ esse pro vitæ merita nescit? Aut ab eo, quomodo aliis veniam postulabit, qui utrum sit sibi placatus, ignorat? Qua in re est adhuc sollicitus formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. » Hæc Gregorius. Idipsum docet nomen pontificis, quia sacerdos et pontifex est pons inter Deum et hominem, ut docet S. Bernard. ep. XLII. ad archiepiscopum Senonensem. Hanc ob causam pontifex olim gestabat tunicam, seu poderem hyacinthinam, quæ cæli colorem repræsentabat, Exod. XXVIII. Unde sequitur eorum vitam et conversationem vulgari et plebeia longe sublimiorem ac quodammodo cælestem esse debere, sicuti et cæli mediant inter hujus mundi exilium et patriam cælestem. Unde sanctus Græce dicitur *hugios* quasi *age*, id est, sine terra, q. d. terra superior, secundum Orig. hom. XI. in Levit. Ergo quanto nobilior est cælum terra, tanto sublimior deberet esse vita sacerdotum vita laicorum. Quo videtur alluisse apostolus ad Philip. III. *Multi ambulat quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est.* Et certe quando sacerdos in missa sumit corpus Christi, cæli typum gerit. Ut enim immissio partis hostiæ sanctæ in calicem significat resurrectionem Christi, ita sumptio corporis Domini significat ascensionem ejus in cælum; quia uti in ascensione Christus a conspectu et præsentia nostra sublatus fuit, ita in sumptione tollitur ab oculis nostris: cælum ergo ibi sacerdos repræsentat; curet proinde ut cælestis sit sua in conversatione.

IV. Quia tractant sancta sacramenta, sacrificia, sancta olea, et vasa, etc. Et quid sanctius carne Christi? Audi Chrysost. hom. LX. ad pop. « Quo non oportet esse puriorem, inquit, tali fruementem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividendam? Os quod igne spiritali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? » Hanc causam reddit ipse Deus, Levit. XXI. dicens: *Sancti erunt Deo suo et non pollutent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti (Hebr. sanctitas, id est, sanctissimi) erunt.* Quod si Deus voluit illos esse sanctos, imò ipsam sanctitatem, qui panes tantum propositionis Deo offerrent; quanto magis eos, qui panem illum qui de cælo descendit, Christum, Patri suo offe-

runt? Et si sanctos voluit esse eos, qui carnes bovum et hircorum, lanionem instar, mactabant et immolabant, quanto magis, qui carnem illam Christi sanctissimam manibus suis conficiunt, tractant, offerunt?

Hanc forte ob causam gestabat summus pontifex vestem aliam, quæ erat tunica linea ex bysso seu lino subtilissimo. Designabat enim munditiam sacerdotis qua semper esse vestitus debet, quia ad sacra ministeria semper debet esse paratus. Hunc ergo præcipue alloqui videtur Eccles. c. IX. dicens: *Comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent operæ tuæ. Omni tempore sint vestimenta tua candida.* « Quia hic panis et quodnam vinum, ait S. Cyrillus, catec. 4. IV. nisi corpus et sanguis Jesu Christi Domini nostri? » Qui cum omnibus sit communis, proprius tamen sacerdotum dici potest, quia ipsi quotidie aut frequenter eum sumunt sub utraque specie. Sed ob idipsum videre debent, ut omni tempore candida gerant vestimenta, id est, ut eorum animæ et conscientiæ puræ sint et sanctis virtutibus adornatæ. Mos antiquus erat in conviviis, uti candidis vestibus. Quia ergo sacerdotes perpetui, aut certe frequentes, Dei convivæ sunt, semperque ad hoc parati esse debent, omni tempore debent gestare vestem candidam. Sunt quidem et laici, dum communicant, domus et templum Christi, non tamen ita stabilis et ordinaria, uti sacerdotes, in quibus semper hospitatur. Unde quemadmodum imperator palatium, in quo fixam habet sedem, splendidissime exornatum habet: quando autem alio proficiscitur præmittit ad hospitium, ubi aliquantulum diversurus est, aliquem ornatum, sed non ita splendidum atque in aula sua habet: ita absque dubio vult Christus sacerdotes esse sibi aulam splendidissime adornatam, et longe mundiorem, quam velit esse laicos, in quibus raro hospitatur. Unde S. August. serm. XXXII. et XXXVI. ad fratres in eremo ait: « Si amina justæ, sedes est Dei, multo magis vos sacerdotes esse debetis sedes et thronus ejus, mundus et sine macula: si sepulcrum, ubi corpus ejus mortuum positum fuit, debuit esse gloriosum ac novum, in quo nullum aliud prius positum fuisset, magis gloriosa et renovata debent esse corpora vestra et animæ vestra in quibus ejusdem Domini corpus vivum et glorificatum esse debet: si beatus fuit venter, qui per novem menses illum portavit, æquum est, ut corda vestra beata sint, quæ Filius Dei elegit in suam quotidianam habitationem: et si beata sunt ubera, quæ infans suxit, etiam os debet esse beatum, quod comedit ejus carnem, ejusque sanguinem sugit tamquam lac. » Hæc ille.

V. Quia ipsi debent alios sanctificare, verbo et

exemplo. Ipsi enim dixit Christus: *Vos estis sal terræ et lux mundi.* Quomodo autem salient alios, si ipsi insipidi sint? Quomodo illuminabunt, si ipsi non luceant? S. Dionysius docet sacerdotes debere esse instar crystalli pellucidi et radiantis, in quo radii solis incidentes, diffunduntur in vicina corpora: et S. Chrysostomus vult sacerdotem esse talem, ut si: *Quasi homo inter bruta, quasi vir inter pueros, imò quasi angelus inter homines.* Apud Cornelium a Lapide in Levitico, cap. XXII. designavit hoc vestis illa pontificis, quæ dicta fuit ephod, cui annexum erat rationale velut pars ejus sacratissima, ad pectus sacerdotis. In utroque scripta erant nomina duodecim tribuum, gemmis insculpta: et præterea rationali inscriptum vel intextum erat *urim et thummim*, id est, *doctrina et veritas*, seu potius (ut alii ex Hebræo rectius exponunt) *illuminationes et perfectiones seu integritates.* Quid autem hoc aliud sibi voluit, nisi ut moneretur pontifex populum sibi commissum gestare in humeris per orationem et sollicitudinem pastorem? Rursum etiam in pectore per amorem, ut eosdem illuminaret doctrina, et perficeret exemplo suo vitæque integritate? Ac quemadmodum e gemmis illis splendor egrediebatur et aspicientes reverberabat: ita ipse quoque verbis et factis illuminare debebat populum. Sunt ergo sacerdotes vel certe esse debent quasi gemma quædam vel speculum, in quibus se contemplari, quales esse debeant sæculares solent. Quare si speculum vitiatum sit, quomodo emendabit vitia intuentium? *Ab immundo enim quis mundabitur?* inquit Ecclesiasticus, cap. XXIV.

Has ob causas multi viri, quia tantam puritatem in se non agnoscebant, a sacerdotio refugerunt; uti S. Hilarion, et multa monachorum millia, adeoque ut in multis Ægypti cœnobiis ne unus quidem monachus sacerdos inveniretur, ut patet ex vitis patrum. Ubi etiam legimus abbatem Mutuen, qui invitatus in presbyterum fuerat ordinatus ab episcopo, abstinuisse semper a sacrificando. Dicebat enim: *Ordinatio hæc illorum est, qui sine culpa sunt, justi et immaculati; ego autem bene me cognosco.* Qui Mutues cum etiam rogaretur ab episcopo, utrum socius ejus frater dignus esset sacerdotio, respondit: *Nescio, hoc autem scio, quod melior sui me.* S. Marcus anachoreta (non evangelista) pollicem sibi abscidit, ne fieret sacerdos. Franciscus nunquam adigi potuit, ne fieret sacerdos, sed diaconus tantum remansit. Quæ si exactius perpendamus sacerdotes, justissimum nobis incutietur timorem.

Quare Domini voce monetur imprimis sacerdos: *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint; ne alioquin totum corpus, id est, plebs tibi subjecta tenebrosus fiat.* Hinc veteres sacerdotes

gressuri tabernaculum ad rem sacram facientiam, prius contemplari et lavare se debebant in labro seu lavatorio aëneo, quod in eum finem præ fratribus erat positum et factum ex meris speculis mulierum tersissimis, ut in eo primo aspiciere, deinde tergere maculas suas possent. Et quid faciendum sacerdotibus novæ legis, qui rem longe diviniorem, imo Deum ipsum tractant? Imitentur itaque spirituali suo examine sacerdotes illos: imitentur hodiernos piscatores, qui de navi sua descendentes laverunt retia sua: antequam ad rem sacram pergant, examinent, laventque per poenitentiam semetipsos: descendant quotidie e negotiis externis in recessum cordis sui, et lavent ibi lacrymis ac poenitentia rete cordis sui.

CONCIO VIII.

QUÆ SUSPECTAM FACIANT SECTAM NOSTRORUM
HÆRETICORUM, ET FALSAM OSTENDANT.

- I. Quia nova: 1. Quia non antiquior centum annis. 2. Quia caret successione. 3. Quia caret missione. — II. Quia caret disciplina: 1. Quia excludit opera bona. 2. Quia excludit statum perfectionis. 3. Quia caret viris sanctis. — III. Quia caret certa fidei regula. — IV. Quia caret bonis navarchis: 1. Habet impios. 2. In doctrina inconstantes. 3. Plenos dolis et mendaciis. 4. Quia inter se discordes. — V. Quia eorum navis ex putridis asseribus. — VI. Quia nimis angusta.

THEMA.

Ascendens in unam navem, quæ erat Simonis.
Luc. V.

Si quis Jerosolymam navigaturus videret in littore duas naves eo soluturas, quarum tamen unam certo perituram sciret; absque dubio prius naves undique inspiceret, et serio deliberaret, utram ingredi deberet. Videmus in hodierno evangelio ad stagnum Genesareth duas naves: quæ spirituali sensu duas designant Ecclesias Christianorum, unam catholicorum, alteram hæreticorum; quæ ambæ quidem contendunt versus cœlestem Jerosolymam, sed una earum necessario peribit: quia unica est arca Noe, Ecclesia extra quam nulla est salus. Unde S. Cyprianus, c. V. de unitate Ecclesiæ ait: *Sinon potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam fuerit, evadet?* Viderit ergo unusquisque ne perituram ingrediatur navem. Porro non obscure indicavit nobis Dominus, quam intrare debeamus, dum ipse ascendit in eam quæ erat Simonis Petri, id est, catholicam et Romanam Ecclesiam, in ea enim Petrus ejusque successores gubernaculum tenere usque ad hanc diem. Unde

S. Ambr. serm. XI. ait: *Hanc solam Ecclesiam navem inscendit, in qua Petrus magister est constitutus.* Alteram porro navem quæ hæreticorum est, si bene inspiciamus, deprehendemus multis modis suspectam et certo interituram: uti nunc videbimus.

I. Quia nova (naves autem recentiores majus periculum habent quam probatæ) regnum Christi seu Ecclesia et fides illius indelebilis et inexpugnabilis esse debet, juxta id: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. ultimo: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. XVI. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. XXII. *Et regni ejus non erit finis*, Luc. 1. Secta autem Lutheranorum et Calvinistarum nova est. Primo, quia non antiquior quam centum et paucolorum annorum: adeoque caret ætate debita. Ante ipsam non erant in orbe sectæ aliæ, nisi gentilis, Mahometica, Judaica, Græca, schismaticorum, et Hussitarum; quarum nullam placuisse Luthero, vel etiamnum placere Lutheranis certum est. Deinde, scimus originem Lutheranorum et Calvinistarum, auctorem, locum, tempus, occasionem, impugnatores, tumultus quos excitarunt. Auctor Lutherus, anno 1517. qui Wittembergæ occasione indulgentiarum a Leone X. concessarum, contra indulgentias primo debacchari, deinde plures addere errores incepit. Ante illum nemo unquam alius, nec ipse quidem Lutherus, fuit Lutheranus nec auditum vel per somnium nomen Lutheranorum. Quem enim quæso invenit suæ sectæ addictum? Ubi, quando, in quibus hominibus fuit illa secta?

Respondent aliqui, in sua secta fuisse infantes baptizatos, deinde simplices idiotas pontificiorum errorum ignaros, deinde moribundos alios quos qui in solo Christo confidebant, denique omnes qui papæ contradicebant. Sed nihil dicunt: Infantes ante Lutherum non Lutherani, sed ejus religionis erant, in qua nati et baptizati. Simples nulli adeo rudes fuere, qui nil scirent de aliis nostris dogmatibus. Moribundi non deficiebant a fide licet in Christi tantum meritis confiderent, principaliter scilicet et abstrahendo a propriis meritis. Adversarios papæ libenter eis concedimus, omnes videlicet hæreticos et impios.

Dicent, sectam suam aliquamdiu latuisse, sed contra. Primo, qui cum ubique passim semper fuerint inquisitores hæreticæ pravitatis, qui alias hæreses deprehenderunt, cur non deprehenderunt istam aliquando? Secundo, quia cum eorum secta incepit, nullus prodiit unquam, qui diceret se eandem sectam prius

coluisse; sed omnes quotquot eam amplexi sunt, prius catholici fuerunt, uti et ipsi hæresiarchæ, ac proinde omnes apostatarunt: jactantque ipsi se demum cæco mundo lucem invexisse, prædecesores omnes in tenebris ambulasse. Aliqua quidem horum hæreticorum dogmata jam olim dudum damnata sunt: sed integra eorum hæresis ante ipsos nusquam fuit. Tertio, quia si antiqua est eorum secta, probari debet ex antiquis patribus et scriptoribus, alias frustra, asseritur. Atqui nominent unum: Nonne omnes patres catholici fuerunt et scripserunt? Quarto, quia id contrarium est sacræ Scripturæ, quæ docet, Ecclesiam esse civitatem supra montem positam, Matth. V. Isa. II. Psalm. LXXI. Dan. 1. Rationi item, quia si latet, quomodo invenietur a quærentibus illam et fidem exoptantibus? Et quid prodesset mundo si lateret? Quomodo provium fuisset hominibus, si Ecclesia latuisset? Chrysost. hom. IV. in cap. VI. Isa. ait: *Facilius est solem extinguere, quam Ecclesiam obscurari.* Certe nec in maximis persecutionibus latuit vera religio, ut patet in martyribus et confessoribus tempore persecutionis. Et qualis est illa Ecclesia, quæ ob metum persecutorum vel adversariorum latet retro fornacem, nec audent prospicere? Quinto, sic miserius fuisset Ecclesia Christi omnibus synagogis et aliis sectis, quæ prodire audebant.

Si dicas, novam esse, vel apostolorum tempore fuisse et durasse aliquantum, sed post desiisse, ut fatentur centuriat. in II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. cent. tertio et quarto sæculo, sequitur Ecclesiam Dei illo intermedio tempore omnino periisse. Illud autem dicunt et fatentur Lutherani in eo, quod nuper primum jubileum suæ religionis solemniter celebrarunt, et in foribus suis scribere solent: *Anno tali illuxit huic urbi lumen verum evangelii, superstitione depulsa.* O insani! Scrutamini Scripturas: an non legitis, quia Ecclesia Christi super petram fundata est, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam? Igitur solvant hoc dilemma: vel ipsorum religio fuit ante Lutherum et Calvinum, vel non; si non, ergo non est religio Christi, quæ tam vetus esse debet, quam ipse est: si fuit, tunc vel manifesta, et hoc nequeunt ostendere ut sup. vel occulta et hoc etiam non potest esse ut suprad. Quare recte mone! S. Hieronymus, in dial. contra Luciferianos in fine, in ea Ecclesia manendum esse, quæ ab apostolis fundata est et durat in hodiernum diem.

Ridere igitur merito illos possumus et cum Tertulliano, lib. de præscript. dicere: « Qui estis vos? Unde et quando venistis? Unde

modo proditis? Ubi latuistis tamdiu? Nunquam hactenus de vobis audivimus: » et cum S. Hilario: « Sero venistis, nimis tarde surrexistis. Jam olim didicimus quid de Christo et Ecclesia et sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc primum apparetis, siquidem bonum frumentum, non post, sed ante zizania seminatum et natum est. » Hæc ille. Et cum S. Hieron. ad Pamach. et Ocean. « Quisquis est, assertor novorum dogmatum; quæso te ut parcas Romanis auri-bus, parcas fidei quæ apostolico ore laudata est. Cur post annos 400. docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt? »

Secundo, quia caret successione. Lutherus et Calvinus, ipse primus, nulli succedens: *Et a seipso incipiens* (ut B. Cyprianus de Novatiano loquitur) novum hominum cœtum congregare cœpit. Atqui nisi per hanc successionem continuam legitimorum pastorum jungatur cum illa Ecclesia, quam Christus fundavit et apostoli propagarunt, nequaquam potest constare sicut nec palmes qui trunco non est insertus, nec alteri ramo ejusdem trunci. Habemus nos successionem pontificum et omnium episcoporum: non illi. Quis enim ante Lutherum fuit patriarcha Lutheranorum? Quis Calvinistarum ante Calvinum? Ita S. Optatus Milevitanus contra Parmen. scribit: *Vos vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Unde ipsis potestas ordinis et jurisdictionis, ut ipsi eam sibi usurpent et aliis conferant? Si dicant non esse necessarium ut ab alio acceperint; contradicunt toti Ecclesiæ, quæ nullum unquam episcopum sine ordinatione recepit aut episcopum esse credit. Hinc patres contra hæreses semper urgebant hanc successionem, uti Tertullianus, l. de præscript. adv. hæret. Hieronymus contra Luciferianos; Augustinus contra epistolam fundamenti; Irenæus, l. III. c. III. Epiphanius, hæresi XXVII.

Tertio, quia caret missione. Hæc autem necessaria, ad Rom. X. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ad Heb. V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ratio quia alioquin ingens fieret confusio, si cuivis pro libitu liceret prædicare, sacra administrare, gubernare, reformare, etc. Non possunt autem ostendere suam missionem, ut alibi demonstravimus. Et certe si nihil aliud credendum, nisi quod in ss. litteris scriptum est, ut ipsi asserunt: ubi in iis ostendunt se a Christo missos? Novorum dogmatum assertores miraculis demonstrare suam missionem debent, uti Moyses, Christus. Ostendant hæc et